

munus solitus esses obire. *Scaevola*. Quaerunt quidem, C. Laeli, multi, ut est a Fannio dictum: sed ego id respondeo, quod animadverti, te dolorem, quem acceperis cum summi viri, tum amicissimi morte, ferre moderate: nec potuisse non commoveri, nec fuisse id humanitatis tuae: quod autem his Nonis in nostro collegio non affuisses, valetudinem causam, non maestitiam fuisse. *Laelius*. Recte tu quidem, Scaevola, et vere: nec enim ab isto officio, quod semper usurpavi, cum valerem, abduci incommodo meo debui: nec ullo casu arbitror hoc constanti homini posse contingere, ut ulla intermissio fiat officii. Tu autem, Fanni, qui mihi tantum tribui dicis, quantum ego nec agnosco, nec postulo, facis amice: sed, ut mihi videris, non recte judicas de Catone: aut enim nemo, quod quidem magis credo, aut, si quisquam, ille sapiens fuit. Quomodo enim (ut alia omittam) mortem filii tulit? memineram Paulum, videram Gallum: sed hi in pueris; Cato in perfecto et spectato viro. Quamobrem cave Catoni anteponas, ne istum quidem ipsum, quem Apollo, ut ais, sapientissimum judicavit. Hujus enim facta, illius dicta laudantur. De me autem (ut jam cum utroque loquar) sic habetote. Ego, si Scipionis desiderio me moveri negem, quam id recte faciam, viderint sapientes: sed certe mentiar. Moveor enim tali amico orbatus, qualis, ut arbitror, nemo umquam erit: et, ut confirmare possum, nemo certe fuit. Sed non egeo medicina: me ipse consolor, et maxime illo solatio, quod eo errore careo, quo, amicorum decessu, plerique angis solent. Nihil enim mali accidisse Scipioni puto; mihi accidit, si quid accidit: suis autem incommodis graviter angis, non amicum, sed seipsum amantis est. Cum illo viro quis neget actum esse praeclare? Nisi enim, quod ille minime putabat, immortalitatem optare vellet; quid non est adeptus, quod homini fas esset optare? qui summam spem civium, quam de eo jam puero habuerant, continuo adolescens, incredibili virtute superavit. Qui consulatum petivit umquam, factus est